Fragmentarium

R de impio.

Inter Maria in latebras gerens in avienta palude sic latuit. Hac clade
factum ut imperium quod in litore oceani non steterat in ripa Rheni flumi
nis staret. Hec ad septentrionem. Sub meridiano tumultuatum magis quam
bellatum est. Musulamas atque Getulas accolas Syrtium Cosso duce conpes
cuit. Unde illi Getulici nomen latius victoria patet. Marmaridas atque Ga
ramanthas Curinio subigendos dedit. Potuit et ille redire Marmaricus
sed modestior in estimanda victoria fuit. Ad orientem plus negocii cum Ar
meniis. Huc alterum ex Cesaribus nepotibus suis misit. Ambo fato bre
ves. sed alter inglorius. Massilie quippe Lucius morbo solvitur. In Siria Ga
ius ex vulnere cum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recepit. Arme
nios victore patre Gneus Pompeius assueverat.
Ut rectores a nobis acciperent intermissum. Ergo ius recuperatum non incru
ento nec multo tamen certamine. Quippe Donnes quem rex Artagerus
prefecerat simulata prodicione adortus virum intentum libello quem
ut thesaurorum rationes continentem ipse porrexerat stricto ferro cura
tus ex vulnere in tempore. Ceterum barbarus undique infesto exercitu op
pressus gladio et pira in quam se percussus inmisit superstiti etiam nunc
Cesari satis fecit. Sub occasu pacata fere erat omnis Hispania nisi quam
Pirenei desinentis scopulis inherentem citerior alluebat oceanus. Hic
due validissime gentes Cantabri et Astures inmunes imperii agita
bant. Cantabrorum et prior et altior et magis pertinax in rebellando
animus fuit. Qui non contenti libertatem suam deffendere proximis
etiam imperitare temptabant. Vacceosque et Curgonios et Autrigonas crebris
incursionibus fatigabant. In hos igitur quia vehementius agere nuntia
bantur non mandata expeditio sed sumpta est. Ipse venit Segisamam cas
tra posuit. Inde partito exercitu totam in diem amplexus Cantabriam ef
feram gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab ocea
no quies. cum infesta classe ipsa terga quoque hostium cederentur. Primum
adversus Cantabros sub menibus Belgice preliatus est. Hinc fuga in e
minentissimum vinnium montem quem maria prius oceani quam romana arma
ascensum esse credebant. Tercio Aracillum oppidum magna vi repugnat
Captum tamen postremo fuit. Medulli montis obsidio quem perpetua xv.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. C 219, 2_2v – A) Cicero: Topica; B) Annaeus Florus: Epitome Bellorum Romanorum; Livius: Periochae; C) Juvenal: Saturae, cum glossis; D) Augustinus (Pseudo-): Categoriae [= Paraphrasis Themistiana] (https://fragmentarium.ms/view/page/F-yuic/5321/50593)